

Adolph Friedrich Zur Nedden

Disputatio Inauguralis De Litium Expensis

Argentorati: Welperus, 1672


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749371587>


Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (48.)





DISPUTATIO INAUGURALIS
De (51)
LITIUM EX-
PENSIS, *ad ius*
Quam *Mecklenb.*

DIVINA ANNUENTE MAJESTATE

Ex Decreto & Auctoritate

MAGNIFICI, ATQVE EX-
CELLENTISSIMI ICTORUM

ORDINIS

in Celeberrimâ ac florentissimâ Argentoratensium

UNIVERSITATE

Pro

LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores ac Privilegia
DOCTORALIA ritè consequendi

Solenni Eruditorum Examine subicit

ADOLPHUS FRIDERICUS ZUR NEDDEN,

Schvverino-Megapolitanus.

Ad diem 15. Mensis Aprilis. H. Lq. S.

ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS WELPERI,
ANNO MDC LXXII.

SACRÆ CÆSAREÆ
MAJESTATIS CONSILIARIO
excellentissimo, & à Serenissimo Saxonix Electo-
re ad augustissimum Cameræ Imperialis Ju-
dicium Legato perpetuo, Seniori splen-
didissimo,

VIRO Perillustri ac Generosissimo Domino,

DN. HINRICO
ACHILLI de BOWINCHAU-
SEN à WALLMERODE,

Immediati Equestris Ordinis Sueviæ, Tractûs ad
Nicrum, nigram sylvam & Ortenavv, Hære-
ditario in Weher, Ihingen & Drönnevitz,
*Domino suo gratioso ac Mecenati æternum
venerando.*

VIR GENEROSISSIME.

NEc heri certè, nec nudius tertius pestilentio-
res Judiciis ortæ sunt aut prodiere pestes, quàm
illæ.

illæ, quæ litigantem & fluctuantem miserum
nummis suis sollicitè comparſis crudeliter & astu-
tè emungere addidicerunt. Depravatos & barat-
tariæ reos ad Cambysem iudices, ad Remniam
legem vitilitigatores remitto, & dupondium il-
lum, cui in causâ unâ quindecim Ducatorum
millia animosè & eleganter extorquebat Baldus
noster, an deplorem magis an rideam, Areopa-
gitis decidendum linquo. Demosthenem hodiè
Atheniensium, cras in unâ causâ Milesiensium
crumenas evacuantem laudare liceat, Rempubl.
utramque dolere, & cum Cicerone ambabus illu-
dere; Judicis enim est in causis verum sequi, Advo-
cati nonnunquam verosimile. Et quos tandem
non impendere necessum habet ille sumptus, cui
forum Eridis semel ingredi volupe est: Imo liti-
gans sumptibus sæpè attritus jus suum persequi
non potest, vel moras pertæsus iniquis conditio-
nibus pacisci cogitur, ut Baudii querelas allegem.
Interim tamen honestæ, moderatæ, & necessariæ
nec omitti possunt nec debent expensæ, nec enim
omnino sine cortice se immittere in Oceanum
Judiciorum Parti licet. Et cum vix ulli accuratiùs de
hac re constare possit, quàm qui Partium jura in
Tribunalibus vel ingenuè peroravit & deduxit vel
sollicitavit: Ego, qui non minimam in eo collo-
cavi

cavi operam, de hac verè juridicâ & practicâ ma-
teriâ *Dissertationem inauguralem* concinnare ani-
mum induxi meum. *Tuo* autem, *Vir Perillu-
stris ac Generosissime*, Nomini eam offero, ut pro
tot beneficiis, quæ in me contulisti, gratum ani-
mum *Tibi* declarem. Digneris, *Vir magne*, me
porrò insigni *Tuo* favore, quo ceu acui nauticæ
confisus facilè destinationum ac causarum mea-
rum penetrabo Oceanum. Deus *Te* servet bono
publico, Illustrissimæ Themidi, oppressorum for-
tunæ. Vale egregiè cum generosâ familiâ, & la-
borem hunc, ceu signum observantiæ, benignâ
fufcipe manu, & tunc sublimi feriam sydera ver-
tice. Vale.

Scribebam Argentorati

d. 13. Aprilis An. 1672.

*PERILLUSTRIS VESTRÆ
GENEROSITATIS*

submissus & observantissimus
Cultor

Adolphus Fridericus Zur Nedden.

lumniandi prurigo, ita animo mihi sedet excellen-
tem hanc materiam de LITIUM EXPENSIS,
rejectis otiosis & umbratilibus, certis aliquot com-
plecti thesibus. Tu vero Concordiæ Stabilitor, Ofor
iniquitatis & rixarum Alme Deus! adspira cœlestis-
simi favoris tui aurâ his conatibus, eosque prospe-
ro successu clementissimè dignare prosequi.

THESIS I.

1. Etymolo-
gia.

Legitimus ut servetur ordo, quo sine nullius ar-
gumentum tractatio ritè instituitur, *Cic. 1. offic. sect.*
142. præmitto varios vocis Expensarum signifi-
catus. Expensa seu Expensum in rationibus dictum
est ab antiquo appendendarum pecuniarum more,
ut liquet ex *Plinii Natur. histor. lib. 33. c. 3.* Unde ex-
pensare eandem quam expensum ferre, habere signifi-
cationem apparet ex *l. Thais ancilla 41. §. libertatem.*
10. ff. de fideicommiss. libert. interdum tamen etiam pro
compensare sumitur, ut apud *Macrob. lib. 1. Saturn. c. 13.*

2. Homony-
mia.

Impensarum, seu quod idem, expensarum plu-
rima esse genera quis inficiabitur? Sunt enim vel
in Rem vel in Litem, in rem vel Generales, vel Spe-
ciales. Generales vel Necessariæ, vel utiles, vel vo-
luptariæ, de quibus *l. impensa. 79. de V. S. & Dd. com-
muniter ad Tit. D. & C. de rei vindic. & petit. hered.*
Speciales sunt (1.) funebres, quæ in funus ad alium
pertinens erogata, ad quas repetendas dat Prætor
actionem funerariam *l. si quis 12. §. Prætor ait. 2. ff. de
relig. & sumpt.* quibus æquiparantur factæ in infir-
mum, *l. in restituenda 4. C. de petit. hered. & ibi Sichard
Fr. Vivius lib. 2. decis. 307. per tot.* Et quidem ex sum-
mâ

in aequitate dedit, ne insepulta jacerent corpora atque inhonorata *d. l. 12. §. hoc edictum 3. ff. de relig. & sumpt. fun.* Harum tantum injure favorem compe-rior esse, ut si defuncti bona solvendo non sint, placuerit impensam funeris habere privilegium prioritatis. *l. impensa 45. ff. d. t.* atque omne creditum precedere. *l. 45. d. t. l. Scimus 22. §. in computatione 9. C. de jur. delib.*

III.

Aliae sunt (2.) quae à marito fiunt in res dotales, de quibus *in tit. ff. de impens. in rem dot. fact. §. item si de dote 37. l. de Actio.* Aliae (3.) quas Pater in libros filio comparandos, de quibus *Bart. in l. filia C. famil. hercisc. Iason. in l. filio licet C. de collat. n. 3. Ripain l. in quartam n. 169. ad L. Falcid.* imo in ipsum filium impendit studiorum gratia peregrè degentem, quae an conferenda post mortem patris in familiam herciscundam quaerere obiter lubet? Et vero nequaquam conferendas censeo, nisi credendi animo Pater eas misisse fuerit comprobatus. *l. quae pater 50. ff. famil. hercisc. vid. Iac. Menoch. 2. A. 1. Q. 3. c. 88. Bocer. cl. 3. D. 17. th. 35. & D. 18. th. 18. Treutl. vol. 1. disp. 19. th. 13. imprimis vero Iohann. Wolfgang Hiltner Tract. Theore. pract. de expens. Studior. Wes. parat. de collat. dot. n. 3.*

IV.

His proximae (4.) videntur illae, quas Pater in nuptias liberorum vestimentaue nubentium, de quibus *Salicet. in l. omnimodo §. imputari n. 8. C. de inoff. testam. Gomez. l. 20. c. 12. in eorundem redemptionem, de quibus Authent. si captiv. in fin. C. de Episc. & Cleric. Bald. in Auth. ex testamento n. 12. C. de collat. facit. Cum quibus (5.) aliisque variis impendia ea quoque mit-*

to-lubens, & persequi explicando superfedeo, quæ legati consequendi gratia *l. his verbis* 102. §. 2. & 3. *de Legat. III. l. si fundo* 1. §. *sed si ususfructus* 2. ff. *si ususfruct. per. §. sed & si rem* 5. *l. de Legat.* (6.) quæ à Tutoribus Curatoribusque in pupillos minoresve alendos *II. C. de aliment. pupill. præst. l. officio* 2. ff. *ubi pupill. educ. deb. erogantur*; nec non (7.) Lucar, seu Lucares sumptus, quos Præsidentem Provinciæ in spectacula, in ludos, in certaminum editiones fecisse constat ex *l. unic. C. de expens. lud. publ.* cui adde ea, quæ habet *Tacit. I. annal. 77. n. 4. Plut. in quæst. Rom. Cælius Rhodius l. 8. antiq. lect. c. 9. Lips. 1. Saturnal. 12.* utpote cum de iis tantum agere animo sedeat in præfens, quæ circa lites expendantur ut loquitur *l. properandum* 13. §. *Et si* 2. *C. de judic.* seu juris nostri consequendi causa, & aliàs sumptus in iudicio facti *l. constitutio* 5. *C. de fruct. & lit. exp.* item impensæ *ibid. & §. ecce* 1. *in fin. l. de pæn. tem. litig.* & Expensæ *d. r. C.* & viatica litisque sumptus *l. cum* 79. ff. *de judic.* Germanicè *Gerichtskosten* dicuntur.

3. Synonymia

Descriptio.

Quas describo, quod sint sumptus Judiciales, in quos Judex ex officio condemnat eum, quem debet e.g. temerè litigantem.

Divisio in
Voluntarias
&
Necessarias
Voluntaria
qua?

VI.
Has in delicatas & necessarias dividit *Vultej. l. 2. I. R. c. 32. n. 17.* quarum illas alii voluntarias dixerunt, scilicet quia eas faciunt litigantes aut rectius prodigunt citra necessitatem sponte & bonâ suâ voluntate. *Ioh. Baptista Asinius Ictus Florentinus Practicâ aureâ sive process. judic. §. 32. c. 3. n. 1. 2. ut & Lanfranc. in aurea practic. c. 11. n. 18.* utilium nomine dignantur &

& insigniunt, quorum licentiosa appellationis non omnino ineptam rationem dari posse remur, nec fugillandam ideo tantorum virorum existimationem.

VII.

Exemplis res fiet planior & perspicua magis, puta (1.) si quis Advocatum patrociniū causæ subiturum, aut Procuratorem dapfili & amplissimâ arthâ, aut splendidi salarii constitutione *Gail. 1. obs. 151. n. 1.* Scribas, Apparitores, &c. donis muneribusque deliniat & perungat, præter necessitatem liberalis, *Bocer. cl. 6. disp. 30. th. 5.* (2.) Si quis molliter & delicatè se curet inter peregrinandum, aut equo vehatur, quo poterat ire pedes, *Lanfranc. ad c. quoniam & ult. x. de probat. Vmm. disp. ad Process. 22. th. 4. n. 16.* has, inquam, impensas, quæ ex *l. si servos 25. in fin. de pign. act.* delicatæ dicuntur, profudisse pronuntian dum est.

llarum Ex-
empla

1.

2.

VIII.

Sed ne cuiquam videamur injurii aut angustè nimis locuti, quoad novissimum illud facimus discrimen inter homines conditionemque eorum, quam attendendam docet *l. quid tamen 21. §. si arbi- ter 10. ff. de recept. arb.* Quid enim si illustris persona privati interpellatione conveniatur & pulsetur? quid si Magistratus aliquis? nonne impudens foret exigere, ut pedibus emetiantur itinera illi tales, quorum dignitati multis excellentibus privilegiis indulgentissimè est prospectum, *l. quotiens 17. C. de dignitat.*

Limit. 1.

IX.

Similiter & in jus vocati mos fuetus *l. qui semisses 13. §. quesitum verb. ex consuetudine ff. de usur. l. vel uni-*

Limit. 2.

verso-

versorum 12. verb. solebat ff. de pign. act. Angel. in l. ex-
ceptione n. 4. ff. de Fidejuss. & iudicii consuetudo l.
idemq. 10. §. si procurator 3. ff. mandat. cuius magna vis
§. 1. I. de I. N. G. & C. l. consuetudinis 2. C. qua sit longa
consu. debet considerari; quod si ille interdum equi-
tare, interdum pedes incedere habet in more, viden-
dum quid plerumque facere consuevit l. nam ad ea 3.
ff. de L.D.

quis illarum
Effectus?

Atque hæ voluntaria hæ delicate expensæ & ut
Dd. loquuntur excessivè factæ, pro nullis reputan-
tur, in eas non condemnatur victus, nec ut restituat
cogi debet, vulgo Dd. per c. 6. in fin. x. de dol. & cont.
c. penult. x. de eo qui mitt. in poss. l. 25. de pign. act. l. 13. §. &
siquidem 2. vers. sin autem ex gestis. C. de iudic. Carvalc. n.
decis. 15. Gail. 1. obs. 151. n. 1. Vmm. dict. th. 4. n. 17.
æquum enim est, id demum retribui, cuius jactu-
ram quis ob alterius factum subire necesse habuit,
non quod sponte erogare voluit intempestivæ mu-
nificentia impetu. Vmm. d. l. v. in sup. n. 62.

Necessaria.

Sequuntur expensæ, quæ in c. pen. x. de eo qui mitt.
in poss. necessaria, in c. 6. in fin. x. de dol. & contum.
Legitimæ & moderatè vocitantur, sine quibus fini-
tore Asinio §. 32. c. 3. n. 6. causa expediri nequit, quæ
que respondent mori iudiciorum frequentato. Ha-
rum etsi plusscula exempla consignaverint Specul. l. 2.
part. 3. tit. de expens. §. 6. n. 7. Schrad. de Feud. part. 10.
sect. 14. n. 91. sufficientia ad intelligendam earum in-
dolem. Nos tamen non pigrabimur certas illarum
classes construere cum Gail. d. obs. 151. nec singulas
nominatim sumus producturi in scenam, nec ad eò
mordi-

mordicis tenaces futuri opinionis, ut commodius
dividi posse & aliter negemus.

XII.

Sint ergo ordinis *primi* eæ, quæ erogantur ad
Processum ritè instituendum, quo pertinet, quod *Processum.*
solvitur Advocato, aut Procuratori, aut Tabellio-
ni, pro linguæ, aut styli, aut manuum præstitâ ope-
râ *l. Praeses Provincia. 1. §. in honorariis. 10. ff. de var. & extr. cogn. l. sancimus 15. C. de judic. Barr. in l. 18. n. 2. ff. rem rat. hab. Matth. Coler. de process. Execut. part. 1. c. 9.*
1. quod solvitur Advocato, &c.
gratis enim procurare aliorumque commodis veli-
ficari nemo cogi, ne quidem Magistratûs jussu aut
mandato potest *gl. in l. 1. §. ait Prator ad verb. non ha-
bebunt. ff. de postul. d. l. 1. §. 10. ff. de var. & extr. cogn.*
Si clientes & ipsi sint tenuioris fortis homines, qui-
bus adjungi solent Patroni, qui tamen mercedem
de publico vel ex arario eleemosynarum habent
expectare *gl. & Dd. ad l. 1. verb. non habebunt. ff. de
postul. Paris de Puteo in tract. Synd. ad verb. carcer & car-
ceratus c. 4. n. 2. & 3. per l. 2. & l. 9. C. de Episc. aud. Spe-
cies enim est eleemosynæ & censetur, pauperibus
præbere Patronos Bald. in l. 6. in fin. C. de his qui ad
Eccl. conf. Sed huic rei in plerisque hodiè curiis ali-
ter prospectum est, constitutis nempe aliquot Advoca-
tatis publico salario, qui causas egenorum agant &
tueantur, Procuratoresque pauperum, ut sunt, sic
appellantur *Wes. in π. de postul. n. 3.* De his Advoca-
torum expensis loquitur *d. l. 1. §. 10. ff. de var. & ex-
traord. cogn. l. 5. C. de postul. l. sancimus 15. C. de jud. l.
unic. C. de suffrag.**

XIII.

Quod si vero propriam hi causam agant, etsi à *Quest. 1.*
B victo

Victo adversario expensas & salarium tantum quantum alii fuisset solvendum, petere nequeant *Bald. in l. ult. C. de fr. & lit. exp. n. 12. Jac. Menoch. l. 2. A. I. Q. cent. 2. cas. 154. n. 4. Nicol. Boër. decis. 210. n. 3. Carpzov. Jurispr. Rom. Saxon. part. 1. const. 31. Defin. 12. nisi quoad litis consortem: tamen laborum hostimentum consequi atque ad eò indemnitati suæ consulere omnino possunt. Panorm. in c. finem litibus. x. de dolo. Jason in l. 13. §. sin autem alterutra C. de judic. Card. Tuschus Tom. 7. vers. salarium concl. 7. n. 29. Matth. Berlich. part. 1. concl. 78. n. 52. Gail. 1. obs. 151. n. 17. Carpz. d. const. Def. 13.*

XIV.

Quaest. 2.

Heic solet vocari in controversiam, an ille, qui causam obtinuit, impensas patrocinii ab Advocato gratis praestiti aut Procuratore, ab Adversario jure exigat? Stat à partibus negantium *Bart. ad l. fin. C. de fr. & lit. expens.* quamvis praevanicari videatur *ad l. 28. ff. locat. cond. Tiraq. in tract. de utroq. retract. tit. 1. §. 29. gl. 4. Ias. ad l. 13. n. 14. C. de judic.* Affirmantium contra *Jacob. Aretin. in tract. de expens. colum. ult. Hieron. Gratian. vol. 1. conf. 108. alii relati à Tiraq. d. l.* Sed nos mediam quodammodo viam eligentes, adjudicamus illas Victori, si remunerandi; abjudicamus, si merè donandi (quod rarissimè ab iis fieri solet) animo patrocinatus sit causæ Advocatus Procuratorve; *Specul. tit. de exp. §. postremo. Afn. §. 32. c. 2. ampliat. 66. Costal. ad l. 10. §. ult. ff. mand. Bocer. cl. 6. d. 30. thes. 8.*

XV.

2. quod sol-
vitur Can-
cellaria.

Non possunt non commodè & huc referre quoque expensæ, quæ (liceat mihi loqui cum
Pragma-

Pragmaticis) pro redimendis processibus, Copiis Actorum, Executorialibus, Compulsorialibus, breviter Scripturis aliis ad causam principalem necessariis, in iudiciis erogari sueverunt. *Gail. d. obs. n. 4. in fin. Vmm. disp. ad process. jur. dir. 22. th. 5. n. 18.* quæ non tantum in Camera Imperiali certæ & definitæ sunt, teste *Juliano Magenhorst. in Comment. ad Ord. Cam. part. 3. tit. 59. Gilhaus. in arb. civ. c. 9.* Verum etiam in aliis quibusdam Cancellariis *Medlenb. Hoffger. Ordn. Tit. vom Taxt der Expensen*, illorum placita quantitas tabulâ expressâ atque ostio affixâ propalam solet omnium oculis representari.

XVI.

Classis secunda complectatur impensas, quæ ^{II. ob Examē} fiunt circa personam necessariam, h. e. Testem, ut ^{Testium.} loquitur *l. quoniam 11. C. de testib.* citandum, præsentandum, examinandum: huic vocato pro testimonio veniendo, stando, & redeundo iudex faciat ministrari sumptus competentes à producente, ut loquitur *Bonifacius Papa c. statutum. vers. proferendo de Resc. in 610.* sive Actor ad probandum articulos positionales, sive Reus ad defensionales asserendos testimonio utatur *l. eos qui 6. §. si quis 2. C. de appellat. Gail. 1. obs. 99. n. 1.* & quidem ab initio statim antequam itineri se accingat *d. l. 11. C. de testib. d. l. 6. §. 2. verb. ad faciendi itineris C. de app. & cons. Vmm. disp. 16. n. 58.* ita tamen, ut ratio non habeatur eorum, quæ lucrificare testis non evocatus potuisset, *Bald. in l. fin. n. 12. C. de fr. & exp. lit.* maximè vero operarum diurnarum, quas neglexit fortè absens talis, qui iis uxorem liberosque sustentare solebat, *Guid. Pap. de eis. 68.* propter rationem *l. si servus 61. §. quod vero 5. ff.*

de furt. l. sed si 7. ff. quemadm. test. aper. Sic interdum
Judex detrahet ea, quæ domi testis fuisset consum-
pturus *l. sed & si 25. §. quod autem 16. ff. de pet. hered.*
Panorm. ad c. finem litibus x. de dolo, interdum non de-
trahet *l. sed & si 11. §. quo autem 1. ff. ad exhib. gl. in c.*
statutum §. insuper de Rescr. in 610. illud addo, decere
Judicem, ut modum expensarum metiatur condi-
tione statuque testium: ita e.g. rusticus si dicturus
testimonium, equo iter faciat aut curru, de suo hæc
parabit, nec refundentur sumptus utpote parum
convenientes *gl. in l. 10. §. 9. ff. mand. Felin. in c. cum*
omnes n. 32. x. de constitut. Contra Nobilis non tene-
tur ire pedes, sed equo vel vehiculo uti poterit. *Bald.*
in l. 10. n. 13. C. de oper. lib. Tirag. de nobil. c. 20. n. 77.
adde Carpzov. d. Constit. 31. Defin. 6.

XVII.

Hodiè plerumque testes à Judice delegato, seu
ut dici suevit, Commissario examinantur, qui di-
cta eorum sigillo suo obsignata clausaque deleganti
transmittit *Sichard. ad l. 11. C. de testib. n. 9. & ad l. 18.*
n. 5. C. de fid. instr. unde qui huic dati sumptus pro-
bantur eos factis in ipsos testes connumeramus cum
Rocer. cl. 6. disp. 30. th. 9. lit. B.

XVIII.

III. ob Spor-
tularum so-
lutionem.

Stent tertio ordine expensæ illæ, quibus litigan-
tes ceu salariolo & mercedulâ personas forenses i.e.
judices delegatos pedaneosque *Nov. 82. c. 9. Nov. 86.*
c. ult. Jac. de Aren. de expens. n. 16. dixæ: inà græcè di-
ctis, nec non Viatores, ut vocantur in l. magis §. §.
netamen 13. ff. de reb. eor. qui sub tut. sunt. l. is cui. §. §.
missus 27. ff. ut in poss. legat. seu Executores litium §. tri-
pli vero 24. l. de act. l. fin. ff. quod met. causa. l. omnes.

33. §. *executoribus* 5. *C. de Episcop. & Cler. l. omnibus* 3. *C. de sport. & sumpt. apparitores, l. quisquis* 1. *C. d. r. l. si pignora* 50. *ff. de evict. l. neper* 1. *C. de executor. & exactor. qui hodiè audiunt Fronbotten / Gerichtsbotten / Mecklenb. Hoffg. Ord. solebant numerari, quas sportulas libuit appellare, non sine ratione, ut annotaverunt Alciat. 3. disjunct. 7. Cujac. in par. C. de sport. Oldendorp. cl. 1. act. 13. Germanicè Lege oder Gerichtsgelt / Vmm. disp. ad P. I. disp. 22. th. 5. n. 20. Bocer. cl. 6. disp. 30. th. 10.*

XIX.

Quæ olim quidem certæ erant tam quoad Judices *Nov. 82. c. 9.* quàm quoad viatores, ut *Theoph. & Hotom. ad §. 24. l. de act. Cujac. 12. obs. 22.* ostendunt. Hodiè variat iudiciorum usus *Mynsing. cent. 2. obs. 75. n. 13.* quippe alicubi gravibus exactationibus legitimum sæpè valorem rerum controversarum superantibus litigantes ab iis, qui expensas expilantur, cognoscunt, quod in suâ Galliâ fieri queritur *Petr. Gregor. Tholos. l. 36. s. v. l. c. 29. n. 10.* Alicubi modicis iudices contenti sunt, alicubi & imprimis in Imperiali Camerâ nullæ Assessoribus penduntur, utpote quorum operas Imperii Status certo salario annuo pensant & redostiunt *Gail. 1. obs. 151. n. 7.* Quid hâc de re circa iudicium Aulicum aliquando in deliberationem venerit, tradit *Magnificus Dn. Assessor Mauritijs, Patronus meus summè colendus, apud Frisch. vol. 2. Iur. Publ. Exerc. 5. thes. 9.* Ceterum nec amplius pro quantitate in libello expressa, verum itineris & viarum longitudine sportulas viatoribus solvi edocet *Auth. Sed hodiè C. de Episc. & Cler. Cammergerichts Ord. p. 1. tit. 48. & seqq. Denais, rr. jur. Cam. 203.*

Sed quam ad classẽ referemus eos sumptus, quibus à Jurisprudẽtib; LLq; peritis responsa solent expediri & informationes à Scabinis? Voluntariis accenset expensam eam *Bocer. cl. 6. disp. 30. th. 5. lit. C.* eo quod judicialis non sit, nec fiat necessitate ullã postulante aut exigente; prout etiam in Camera, in causa *Gejer* contra Episcopum Herbiopolensem, non habita fuit ratio Expensarum pro Consiliis, sicut tradit *Gylm. symphor. tom. 3. voc. Expensa.* Nos tamen non incommodè putamus & his & necessariis posse connumerari, ut in ipso dissertationis colloquio, si occasio dabitur, expromere non intermitteremus.

Atque hæc quidem expensarum species sunt explicitæ à *Specul. tit. de Expens. §. postremo. n. 21. & Garl. loc. sæpius citat.* pone quas si propriis quasi in subsellis suis locare velis sumptus à litigantibus in itinerum expeditiones cibariaque faciendos, de quibus *l. eum quem. 79. & ad eam Bart. ff. de judic.* agit, me quidem haut invito id facies, neu contradictorem habebis missis partitionibus ad alia properantem.

*Causa, ob
quas Expen-
sa refun-
denda.*

Regula est notissima; Victus Victori in expensas condemnatur, *d. l. 79. ff. de judic. l. properandum 13. §. sive autem 6. & ibi Dd. C. ibid. l. qui solidum 78. §. etiam resp. 2. de legat. II. c. 5. x. de dol. & contum.* Hanc ut planam reddamus in antecessum pervestigandæ nobis causæ erunt, propter quas litis impendia parti adversæ sunt refundenda, Sanè ordinem
hic

hic accuratum habemus in super parum de illo solliciti. Sit ex arbitrii libertate prima citatio temeraria ex *d.l. 79. in pr. ff. de judic. c. 1. de dol. & contum. in 6to. Iob. Petr. Ferrar. in pract. Papinienf. t. 2. gl. 25. n. 3. Sichard. ad l. 2. C. de dilat. quam exemplo ex Accurf. ad d.l. 79. & Bald. ad l. 4. n. ult. C. de fruct. mutuato illustro tali: Si, cum plures Titii essent, in iudicium vocaveris eum, quem causa non concernit, temeritatis ut loquitur *Asin. §. 32. c. 1. n. 4.* culpæ alligasti caput expensasque cogere reddere, et si justam (ut non nemo opinatur) litigandi habeas causam.*

I. Citatio temeraria.

XXIII.

Incurrit præterea in poenam expensarum & is, qui contumacem se gessit, h. e. quoquo modo Judicis mandato non paruit *t. r. ff. si quis jus dic. non obtemp.* Contumaciæ vero in jure duas invenies species, quarum altera vera est, e. g. cum quis citatus à nuntio respondet in faciem apertè, nolle se comparere, neu sui facere copiam, vel non obloquitur quidem, at tamen ex animi quadam obstinatione & contemptu jussus judicialis contumaciter emanet, aut se sistit, sed strenuè silet & adversario respondere non dignatur, aliisque modis committitur. Altera ficta seu præsumpta, quando dubitatur, an citationis, ipsi illi non intimatæ, conscientiam habeat vocatus in jus, e. g. si ad domum affixâ schedulâ absens quis citetur, *Barr. in l. fin. ff. de in integr. rest. gl. ad Clem. I. x. de dol. & cont. Marant. p. 6. aur. spec. de contum. n. 6. Bocer. cl. 6. disp. 30. th. 14. add. Roding. Comment. lib. 3. §. 51. p. m. 923.*

II. Contra-
ria Contumacia.

quotuplex
contumacia?

1.

2.

XXIV.

Qualis citatio ideo aliquem contumacem, si emanat, reddere videtur, quia absentes tenentur relinquere domi Procuratores vel defensores, qui ejusmodi citationes & alia suo nomine subeant, *arg. l. 1. & 2. ff. cum qui appell. in prov.* quod ita intelligendum est, si antequam abesse cœperant, lis cum iis vel jam inchoata fuerit, vel etiam noverint, eam certam sibi motum iri *l. 16. §. 1. ff. de Legation.*

XXV.

pena ejusdem.

Quod ad pœnam contumaciæ attinet, eam totam ex *c. 1. de dol. & cont. in 6to. auct. qui semel C. quom. & quand. jud. sent. Ord. Cam. p. 3. tit. 50. & seqq.* non licet nobis examinare brevitate amore restrictis. Illud in præsens non debemus non indicare utpote faciens ad rem vel maximè contumacem semper in expensas condemnari, etiamsi sententia pro se lata sit *d. l. 13. §. & si quidem 2. C. de judic. & ad ejus §. 6. n. 15. Zasius Novell. 112. c. 3. §. 2. Covarr. pract. quest. 27. n. 3. Petr. Costal. ad l. 79. de jud. Afm. in pract. aur. §. 32. c. 2. Ioh. Emer. à Rosbach process. jud. civil. t. 30. n. 20.* etiamsi justam habuerit litigandi causam *Parthen. litigios. l. 2. c. 6. n. 13. Mundius de diffamat. c. 5. §. 5. n. 54. & seqq.*

XXVI.

Invenies etiam interdum perfriatæ frontis homines, qui nullis quidem injuriarum petiti telis, nullo damno læsi solâ prurigine litigandi excitantur, ut alteri faceßant in judicio negotium & innumeras creent molestias. Hi turbatores publicæ tranquillitatis calumniari dicuntur, quorum in odium receptum sacramentum calumniæ, ut jurantium, quod

quod existiment se bonam causam habere §. ecce 1. l. de pæn. tem. litig. nec differendi proposuisse allegationes contentiosa instantia metu religionis compescatur l. in omnibus. 1. C. de iurejur. propter calumn. dand. ne impudentissimam impunè ferant litigandi temeritatem, etiam condemnantur in expensas.

XXVII.

Cum his calumnie expensis maximam cognitionem habere videntur & proximas esse iis, quæ dicuntur retardati processus *verzogen Rechtsens* / de *III. Retardatio Processus.* quibus in l. non ignoret 4. C. de fruct. & lit. exp. c. finem litibus x. de dol. & contum. auth. qui semel C. quom. & quand. jud. nempe cum quovis modo pars partem per ambages ducit & frivolas petit dilationes. g. c. si actor mutet libellum cum dispendio rei l. edita actio 3. & ibi gl. & Dd. C. de edend. Donel. ad §. 34. l. de action. etiam si id damnum unius denarii sit tantum Bald. in c. conquirente x. de restit. spoliat. Si reus exceptionem suam malitiosè distulerit, ut adversarium morâ, sumptu, labore fatigaret c. 12. x. de except. aut usus aliquâ, quam deinde nescit probare. c. finem litibus x. de dolo. breviter, quicumque in interlocutoriâ super facti articulo latâ succumbit, cum super eo absque justâ causâ disceptasset, quicumque remoratur processum. Lanfr. ad c. ult. de judic. rit. jud. Camer. 25. n. 1. Bald. ad l. 13. §. 6. n. 6. C. de jud.

XXVIII.

Sicuti vero retardati processus Expensæ (idem de contumaciæ statuendum) etiam in criminalibus causis refundendæ sunt l. qui crimen 3. C. de his qui accus. non poss. ira peti possunt in qualibet litis parte, Gail. 1. obs. 151. n. 15. Myns. 1. obs. 23. & 45. Afm. §. 32.

C

c. 2.

c. 2. ampl. 22. licet haut rarò ad causam principalem zur Hauptsachen/ reservari eas experiendo didicisse se asserat *Bocer. d. l. th. 19. lit. B.* Cujus rei quoque præjudicia habet *Blum. in Chiliad. Sent. num. 973. & in Mantissa n. 39.* Et ego in nuperrimâ publicatione die 20. Octobr. styl. vet. Anno 1671. in Sachen M. zu D. contra G. zu N. egregium observavi.

XXIX.

IV. Victoria.

Alii denique sunt sumptus Victoriæ, ad quos pertinet trita regula, Victum Victori in expensas condemnari, *Th. XXI.* jam à nobis præmissa: atque in hos condemnandum eum, qui malitiosè, imo & qui temerè, inconsultè, doli expers, judicium suscepit *Lanfr. ad d. c. ult. n. 2. Covarr. d. q. 27. n. 1.* etsi sacramento calumniæ sit defunctus, volunt *Bart. ad l. 79. de judic. Zas. ad l. 13. §. 6. n. 3. C. ibid. Obrecht, de jur. calum. c. 12. n. 12. Vranius Tom. 2. conf. 19.*

XXX.

Quæst. 1.

Multas quæstiones hùc pertinentes non certè de nihilo præterimus lubentes, ne paginæ nostræ turgescant nimis, stringere tamen & libare volupè fuit has. *An victus quoq; in causâ criminali victori sit condemnandus in expensas?* Cujus negativam etsi propugnent Numina aliquot Jctorum, nos tamen affirmativæ patrociniûm suscipiemus cum *Claro lib. 5. sent. §. fin. q. 62. n. 4. Gail. 1. obs. 152. n. 1. Covarr. quæst. 27. n. 2. Vmm. loc. sep. cit.*

XXXI.

Quæst. 2.

Similiter non remur à proposito alienum disquirere; *An expensarum judicialium in secundâ quoq; instantiâ habeatur ratio?* Certè insignitæ foret temeritatis hoc vel purè assertum, vel purè negatum ire, distin-

distinctione quippe opus est, sc. si appellans succumbat, condemnabitur ad sumtum refusionem, *l. observare 2. C. de decur. l. unic. C. de sumpt. recup. l. severiter 14. C. de excus. tutor. c. ut debitus 2. de appell.* nisi probabilem habuerit causam litigandi, quo casu solent expensæ compensari *Boer. d. l. th. 27.* Si vero contra Appellatum pronunciatum fuerit, dispiciendum est, an iudex superior ex prioribus actis tulerit sententiam ei adversam, an ex novis probatis & deductis; illo casu solutionis oneri subdunt, nisi justam fovisse causam manifestè intelligatur. *Gutierrez. 1. pr. q. 135. n. 2. Calvalc. 1. decis. 15 n. 1.* hoc immunitem cum pronuntiant. *Lanfranc. ad multotiens alleg. c. ult. n. 5. vers. concludit. Zas. ad l. 13. §. 6. n. 38. C. de judic.* Verum enim verò quicquid hujus sit, moribus invicem compensari expensas, ubi hoc accidit, nos docet iudiciorum & imprimis Cameræ usum callentissimè doctus *Andr. Gail. 1. obs. 152. n. 5. add. Eberhard. Fabric. in Gail. enucleat. 1. obs. 152. & Hunn. in Encyclop. Jur. part. 2. tit. 33. cap. 10. n. 9.* Appellatos tamen nonnunquam condemnari in expensas utriusque instantiæ, ostendunt res judicatæ in Camerâ Anno 1654. die 17. Martii in Sachen J. B. contra J. H. Anno 1655. 9. Martii in Sachen J. B. wider Juden D. de L. Anno 1664. 7. Julii, in Sachen A. M. wider F. P. daß die Appellaten die Gerichtskosten in beiden instantien auffgeloffen/ dem Appellanten nach Rechtsicher Ermessigung zuentrichten schuldig seyn sollen. *vid. Blum. in Chiliad. Sentent. n. 10. 44. 413. & 985.* quod etiam in Judicio Aulico-Cæsareo, cum Serenissimi Principis mei negotiis agendis per trien-

nium ibidem vacarem, aliquoties practicum fuisse memini.

XXXII.

Remedium
pro conse-
quendis Ex-
pensis, est
vel Actio.

Quaest.

Remedium vero, quo eas consequi licet, est vel actio, vel imploratio officii iudicis: actionem intellige ex stipulatu, quâ experietur Victor adversus sponsores sibi ex promissione ad refundendas expensas obligatum *Asin. §. 32. c. 23. n. 1. & Dd. comm.* Sed &, si supra iis sententia lata sit, actione judiciali rectè peti, nisi appellatū sit, notat *Vmm. disp. 22. th. 9. n. 32.* nec non conditione, ubi ex statuto debentur *secundum Decium ad l. si soror. 8. n. 2. C. de collat.* quorum illud novissimum placuit *Boer. d. l. th. 51.* Ceterum si in conventionales expensas libello designatas petitasque iudex praetermiserit condemnare victum, quid juris? actione in factum pulsari posse & conveniri per *pr. l. de obligat. qua ex qs. del. l. ult. ff. de extraord. cogn. l. si quis 5. §. si iudex 4. ff. de oblig. & act. vult Bald. ad l. ult. n. 3. C. quand. prov. non est nec. & ex eo Boer. d. l. th. 50.* eas victorem nihilominus post latam sententiam viâ ordinariâ à victo petere posse, & tum demum, si hic solvendo non sit, iudicem in subsidium teneri asserit ex *Iason ad l. 13. §. 6. C. de judic. Berlich. concl. 78. n. 57.* Alii à tali sententiâ provocandum censent. *Lanfr. ad c. ult. x. de judic. n. 13. add. Carpzov. sep. alleg. const. 31. defm. 20. & 21. n. 4.*

XXXIII.

vel Implora-
tio officii Iu-
dicis.

Ordinaria via consequendi sumptus litis temerè motae causa factos est imploratio officii iudicis, *L. terminato 3. C. de fruct. & lit. exp. Specul. l. 2. Rubr. de Expensis §. nunc de expensis. Sic hard. ad l. 13. & Dd. com-*

muni-

maniter C. de judic. à quo id exigi & desiderari potest vel directis verbis, ut, Peto reum condemnari cum refusione expensarum factarum & faciendarum: vel tacite solemnibus quibusdam formulis vim eandem habentibus, quales sunt, Peto pro me sententiam ferri *Bald. ad d.l. n. 5. inf. Covar. q. 27. n. 5.* aut jus mihi & justitiam administrari omni meliori modo, & si quæ sunt similes *Gail. 1. obs. 151. n. 21. Myns. cent. 4. obs. 55. n. 3. Marant. part. 6. membr. 3. n. 12.* Atque hoc verum arbitramur & de expensis ante litem contestatam erogatis, & de contumaciæ, quas non peculiari aliquâ actione, sed judicis officio & ipsas petendas existimamus.

XXXIV.

Verum enim vero si nulla expensarum facta sit à *Quæst.* litigantibus mentio, neu petitum à Judice, ut condemnetur in eas adversarius, an sua sponte & non rogatus super his sententiam pronuntiabit? dico quod possit si velit *l. sancimus 15. C. de judic. l. adiles 25. §. item sciendum 8. ff. de adil. edict. l. 31. ff. de reb. cred. Myns. 2. obs. 22. Afen. d. §. 32. c. 2. ampl. 53.* at præmittens id culpâ poenâque vacet, *l. dies 4. §. hoc autem 8. ff. de damn. inf. Schneid. ad §. 1. de action. n. 128. Rebus. de Expens. art. 15. Goddeus ad l. 22. de Verb. Signif.*

XXXV.

Videamus nunc porrò, quæ sint in expensarum *Officium* petitione partes tam Actoris, quam Judicis? Ea vero in illo versantur, quod iste quidem sumptus à se *Actoris in li-* erogatas singillatim describere, descriptosque huic *quidandis* offerre teneatur; quo facto victus vel verbis vel *expensis.*

scripto, si id è re suâ esse intellexerit excipiendo, replicando & rursus sit Actor (in Camerâ tamen non ultra replicas, nisi ex relevanti causâ) velintantur usque dum concludatur, ut *Specul. lib. 2. p. 3. de expens. in pr. Schvvanmannus lib. 1. process. Camer. c. 73. Nic. Meurer in formul. Cammergerichs process. part. 9. nos edocent.*

XXXVI.

*Judicis in
taxandis.*

Ita liquidatas, ut loquuntur Pragmatici, impen-
fas designatasque ab Actore Judex taxat, i. e. æquâ
æstimatione moderatur *d. l. 15. C. de jud. l. si quando 9.
C. unde vi. Gail. 1. obs. 151. n. 11. ad quod pars victa ci-
tari l. de unoquoq. 47. ff. de rejudic. Nicol. Boër. decis. 52.
Marant. part. 6. act. ult. & post illa jurare Victor su-
per expensis debet Nov. 82. c. 10. auth. post jusjuran-
dum C. de jud. Judexque jubere eum, qui succubuit
in lite probatam sacramento summam solvere Vi-
ctori, quam à se factam taxationem juramento acto-
ris stabilitam non posse corrigere aut revocare judi-
cem arbitramur cum *Bocer. d. l. th. 66.**

*& adjudi-
candis vel
cum jura-
mento.*

XXXVII.

*vel sine ju-
ramento.*

Sicuti verò nonnunquam expensæ integræ
Victori sine ullâ taxatione refunduntur, ut videre est
ex iis, quæ *Berlich* habet *concl. 78. n. 76. & seq.* ita &
jurisjurandi gratia fieri quandoque solet, *Ioach. à
Beust. ad rubr. ff. de jurejur. n. 248. Marant. part. 6. tit.
de juram. n. 22.* imprimis si illæ magnæ non sint, nec
20. excedant florenos teste *Gail. 1. obs. 151. n. 12.* quam-
vis in Camerâ de Expensis in pignoratitio num alio-
rumque mandatorum causis, ut ut infra 20. flore-
nos æstimatis, jurandi necessitas sit, per *Recess. Deput.*
de

de an. 1600. §. Ob wol aus. *Denais. Tit. 137. n. ult. Roding. pand. Cam. lib. 3. tit. 34. p. m. 877. & seqq.* Certè hodiè imprimis in terris Saxonis remitti hoc sacramentum scribit *Berlich. d. l. Sichard. ad l. 15. C. de jud.* in meâ vero patriâ Megapoli & Judicio Provinciali nunquam non exigì atque præstari, id indicant verba, und dieselbe bey seinem Eyde / Mecklenb. Hoffgerichts Ordn. tit. de Expensis. Unde intelligere licet, tutissimum esse ad cujusque judicii ordinem, & ut nunc loquimur, stylum respicere.

XXXVIII.

Processum Cameralem in puncto Expensarum Processus Cameralis in puncto Expensar. præter *Gail. & Myns. citat. loc.* tradunt *Denais. in lur. Cameral. tit. 134. & seqq. Swanman. dict. cap. 73. Blum. in process. Camer. tit. 75. à n. 46. usq. ad 55. Roding. Pandect. Cameral. lib. 2. tit. 6. n. 16. Gylman. Sympher. Tom. 3. voc. Expensa. & Klock. in Relat. & vot. Cameral. passim.* Unde nos sequentia per modum excerpti breviter delibamus. 1. Omne id, quod occasione pignorationis seu incarcerationis captivo deest, & certam æstimationem recipit (als Ahung / Versaumnis / Arrestlohn / Zehrung &c.) à pignorante in puncto partitionis refundendum est, per Deputat. Abscheid de Anno 1600. §. Sezen und schliessen. 2. In causis mandatorum, si exceptione sub & obreptionis irrelevantes inveniantur, & illis non obstantibus partitio injungatur hisce verbis; Wo Er solchem also nicht nachkommen wird / das ist alsdann / und dann als ist der Beklagte in die poen dem Mandat einverleibt erkläret / ferner Process auch erkent / das Er seinem Gegentheil die Gerichtskosten derwegen aufgeloffen / nach Rechtlicher ermehigung zuentrichten / und

und zu bezahlen schuldig seyn solle/ hoc casu reus statim expensas, in frastri ausgegangenen Mandats/ restituere tenetur; adeoque formula ista licet conditionalis videatur, in effectu tamen puram condemnationem importat. 3. In causis Fiscalibus si condemnatio fiat conditionaliter vel in eventum, perinde pars citata condemnatur in expensas, tanquam in definitivâ sententiâ, etiam si justæ causæ sint, quæ aliàs relevent ab expensis, quia hoc in aliis causis civilibus fit, non in fiscalibus, quas Fiscalis non aliter, nisi cum Consilio Deputatorum Assessorum, introducere tenetur. 4. Designationes Expensarum ad taxam monetæ Imperialis redigendæ ac solvendæ sunt, aliàs reservatâ pœnâ contra Procuratorem ejiciuntur. 5. Taxatis ac juramento firmatis expensis, victus illas, **innerhalb sechs Wochen und drey Tage/** exsolvere tenetur. 6. Procuratores si se offerant in judicio pro partibus expensas solvere, illa oblatio sufficit & acceptatur; & si deinde moras nectant, judicialiter per Decretum sub certâ pœnâ mandatur, ut obligationi intra certum tempus satisfaciant. Quæ hîc extremis labris degustasse sufficiat; plura desiderantem ad supra allegatos auctores remittimus.

XXXIX.

Summa summarum huc redit, decere judicem, ut vel in expensas condemnet victum, vel eas ad minimum compenset, inductus justâ aliquâ & probabili causâ, quod sententiæ apponendum volunt, *Gail. d. l. n. 23. Sichard. ad l. 13. §. si ve autem n. 13. C. de jud. Bocer. d. l. th. 61.* Secus si fecerit, & vel in super actoris petitionem, postulantis sibi sumptus à temerario

rario adversario reddi, habuerit, vel in minores
quàm æquum erat, hunc condemnaverit, vel vi-
ctum in majores, sententiâ gravato beneficium ap-
pellationis competit, *l. ult. & ad eam Dd. C. quand.
prov. non est neceß. Lanfr. in aur. pract. c. XI. Myns. 2.
Obs. 22.*

XL.

Silenzio prætermittere nolo, an sententia su-
per expensis lata sit interlocutoria, an definitiva? *Quest.*
prius placet *Sichard. ad l. 16. C. de jud. posteriùs Boce-
ro d. l. th. 71. Ego cum Asinio §. 32. c. 17. & Angel. ad l.
1. §. socius. n. 6. ff. de usur. distinguo, ajens, eam seor-
sim latam esse interlocutoriam, insertam vero ipsi
definitivæ (quod fit ut plurimum) aut eam subsequen-
tem, hujus nomine insigniendam,*

XLI.

Haftenus pro re natâ explicitum dedimus, quo-
modo litigator & damnûm & impensas litis infer-
re adversario suo cogatur: sed cum interdum ex-
oneretur hac refusione, consequens est, ut subjun-
gamus eos maximè notabiles casus, & quidem sum-
mo digito quasique per indicem. Effugit vero re-
gulariter condemnationem incubantem cervicibus
calumniatorum is, qui justam litigandi causam
habuit *d. l. 78. §. 2. ff. de Legat. 11. l. cum 79. ff. de judic.
Nov. 82. c. 10. c. quoniam x. de probat. ne quidem ex
statuto simpliciter edicente, à Victo Victori sumptus
litis esse restituendos, in eos condemnandus, sen-
siente Baldo ad l. 3. C. de fr. & lit. exp. Zasio ad l. 13. §. 6.
n. 22. C. de jud. Vmmio disp. ad process. jur. 22. th. 8.
n. 29.*

*Exceptiones
quando Vi-
ctus non re-
neatur sol-
vere expen-
sas.*

D

XLII.

Non æque expeditum nec iudicatu planum, ut quis dicatur habuisse litigandi causam justam, cum bonâ instantiâ uti & ad contradicendum pervenire, animoque calumniandi vacare, qui duorum Jurisperitorum responsis pro se latis innitur, *Lanfr. in aur. pract. c. XI. n. 3. Menoch. de arb. jud. quest. l. 2. c. 177. Gail. l. obs. 152. n. 6.* de quo non immeritò dubitat *subtilissimus Bachovius ad Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 7. lit. e.* quod stante hâc sententiâ in tantâ scribentium sibi que contradicentium turbâ, vix quisquam in expensas possit condemnari: Scribit tamen Referens apud *Klock. Relat. 138. n. 103. & 104.* Compensari expensas, si hinc inde controversæ sint Dd. opiniones; nisi manifestò de communi opinione constiterit, Qui semiplenè probavit *Asin. §. 32. c. 2. limit. 5. Anton. Thesaur. decis. 236. n. 1.* qui testibus usus postea reprobatis *Sichard. ad l. 13. §. si ve autem. C. de jud.* qui conservandi pudoris ergo litem movit aut suscepit *Arumaus l. 1. decis. 9. n. 19.* alii que quos novem classibus includit *Iason ad sep. alleg. l. 13. §. 6. C. de jud. citante cum Treutl. v. 1. d. 12. th. 16. lit. D. & Gail. d. obs. n. 3.* annotavèrè. At ego iudicis arbitrio & discretioni solum hoc censeo relinquendum cum *Menoch. l. 2. c. 177. & Gail. d. l. n. 5.*

Similiter victus immunis est ab Expensis, si persona magnæ sit existimationis, vitæque gloriofæ & inculpatæ *Ioh. Crocus de Testib. part. 3. n. 152. Iaf. ad l. 31. de jurej. n. 182. Zas. d. l. n. 34. Asin. d. c. 2. p. 684. lim. 13.* Si jussu superioris ferram controversiæ cœperit

perit in iudicio reciprocare *Cavale. part. 1. decis. 14.*
 Si iudex interlocutus super articulo merè juris *Bald.*
in l. ult. C. quand. prov. non est necess. Si pro absente
 contra præsentem sententia feratur *c. calumniam x.*
de pæn. Cammerg. Ordn. p. 3. tit. 43. & aliis pluscu-
 lis modis quos ex viretis Jctorum spaciosissimis de-
 ceptos Dd. inque fasciculos quasi colligatos re-
 præsentant *Berlich. concl. 78. à n. 15. usq. ad 43. Bocer. cl.*
6. disp. 30. th. 40. Vmnius ad process. jud. disp. 22. th. 8. n.
 31. Ego ne nimis longum loqui videar, heic abrum-
 po telam, aliis pertexendam consummandamque
 transcribens.

Tantum de hâc materiâ, pro ejus digni-
 tate parum, pro ratione instituti,
 satis.


*Soli DEO sit pro concessâ gratiâ, Laus,
 Honor & Gloria in sempiterna secula.*

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Ad

Virum Nobilissimum & Amplissimum,
DN. ADOLPHUM FRIDERICUM
ZUR NEDDEN,

U. J. Doctorandum: Serenissimi Principis ac
Ducis Suerino-Megapolitani Consiliarium
& Secretarium Status fidelissimum,

Fautorem meum honorandum.

Qvod Themis, & Themidis, Prudentia, Filia,
NEDDEN,

Te poscunt Thalamis unanimes fuis:
Hoc fausto Tibi grator ore.

Inde Tui crescet Clementia Principis in Te,

Et spartam studiis sufficiet Tuis:

Hanc omni Tibi mente grator.

Hanc etiam, sine lite, Tuæ, *Fridrice*, merentur

Lites, quas cathedræ Pieridum cies:

Pro quæis accipies coronam.

Interea, *quicung;* (tuæ sic succino liti)

Expensas metuit litis, is antea

Expendat benè jura litis.

scribeb. gratulab.

Johannes Rebhan, D Com.

P. Cæs. Univ. h. t. Rector,

Colleg. Jurid. Senior, Cod. &

Feud. Prof. Ord.

):(

Expen-

Expensas litis debet temerarius Actor;
Atque eadem reprobos poena manere Reos,
Et tamen aeterno sudat stridore tribunal
Incertoque sono perstrepat omne forum,
Optime *Zur Nedden*, Tu clarius omnia firmas
His Thesisibus, quæ tum praxis & ipsa docet,
Ergò quid innumeras lites ascribimus ipsi
Juri? Non Legum, est improbitatis opus!

*Nobiliss. Dn. Candidato
Amicitia symbolum exstare
voluit*

Gerardus von Stöffen, U.J.D.
& Institut. Imperial. Prof. P.
p. t. Collegii Jurid. DECANUS.

*Nobilissimo atq; Praclarissimo
Dn. Respondenti.*

Lite vacent animi, dubiæ sic solvere
nullas
Expensas quenquam *Litis*, Amice,
debet.

Ore sed *expensas litis* scriptoque tuendo
Omnibus expensas Ingenii ipse probas.
Has Themis ipsa Tibi largo cum foenore
reddet,

Solvendo studiis præmia digna tuis.
Amica manu gratulatur

Gothofredus Stöfferus, U.J.D.
& Pand. Prof. Ord.

Ad

Ad
Nob. Consultissimumq;
DN. ADOLPHUM FRIDERICUM
ZUR NEDDEN,
Serenissimo Principi Mecklenburgico

à
Secretis intimioribus

Amicum veterem

De
LITIU M EXPENSIS
inauguraliter disputantem.

ERgo post varios tandem Tibi digna labores
Præmia munificâ dat Themis alma manu,
Qui tot Vandalici curis spectatus in aula
Principis, eximii dextra decusque Ducis:
Quem modò Cæsareus Domini mandata ferentem
Vidit apex sancta tam benè gesta fide.
Quem Themidos vidit toties oracla petentem
Quæ Nemetum in terris panditur aula Deæ.
Jam post sudatas Tibi juris in arte palæstras
Palma Tuæ capiti debita ritè venit.
Dum post pugnatas longo molimine lites
In litem tandem I s venit ipsa Tibi.
Gratulorè mediis palmam Tibi litibus ortam,
Ne tamen hæc lites litigiosa ferat!

gratulab. scr.

D. G. MORHOFIUS. D. Pr.
in Acad. Kilon.

Eo

So zeige dann den Schatz / den deine Seele
heget /

Den Themis milde Hand mit reicher Maas
geleget

In die gelehrte Brust / den Wien vormahls bes
wehre /

Den Regenspurg und Speyr / mit grossem
Ruhm vermehre.

Den auch der Wenden Fürst nunmehr bey drey
zehn Jahren /

Als Seine Stats-Geschäfte dir anvertrauet
wahren /


Geliebet und gelobet; drum Bruder zeige frey
Das das was andern halb dir ganz gegeben sey.


Mit diesem wenigen wolte seinem ver-
trauesten Freunde Glückwün-
schend aufwarten /


Johann Philipp Scheffer /
J. U. Ddus.

F I N I S.











rario adversario reddi, habuerit, vel in
quàm æquum erat, hunc condemnaverit
ctum in majores, sententiâ gravato benefi
pellationis competit, *l. ult. & ad eam Dd.
prov. non est necess. Lanfr. in aur. pract. c. XI.
Obs. 22.*

XL.

Silentio prætermittere nolo, an sent
per expensis lata sit interlocutoria, an de
prius placet *Sichard. ad l. 16. C. de jud. poste
ro d. l. th. 71. Ego cum Asinio §. 32. c. 17. & A
i. §. socius. n. 6. ff. de usur. distinguo, aiens, c
fim latam esse interlocutoriam, insertam
definitivæ (quod fit ut plurimum) aut ea
quentem, hujus nomine insigniendam,*


XLI.

Hactenus pro re natâ explicitum dedin
modo litigator & damnum & impensas li
re adversario suo cogatur: sed cum inter
oneretur hac refusione, consequens est, ut
gamus eos maximè notabiles casus, & quid
mo digito quasi que per indicem, Effugit
gulariter condemnationem incubantem ce
calumniatorum is, qui justam litigandi
habuit *d. l. 78. §. 2. ff. de Legat. II. l. cum 79. ff
Nov. 82. c. 10. c. quoniam x. de probat. ne qu
statuto simpliciter edicente, à Victo Victori
litis esse restituendos, in eos condemnan
tiente *Baldo ad l. 3. C. de fr. & lit. exp. Zasio ad
n. 22. C. de jud. Vmmio disp. ad process. jur.
n. 29.**

D

est.

ceptiones
ndo Vi-
non re-
tur sol-
expen-
as.



the scale towards document